

fendere sumptibus, nequaquam silentio praetermittamus [a] immo omni laude et memoria dignum, et posteris profuturum servemus [b]. Miserant primo Brixiani apud civitatem Faventiae ultra duo millia corbium [c] frumenti; hoc illud idem pro parte contingent et aliæ civitates societatis facere tenebantur [d]. Hoc imperator audito, nescientibus Ravennatibus et aliis, qui ad eum venerant ad partes Veronae [e] et Marchiae [A], in patriarchatu Aquilejensi secessit. Inde vero surgens, nemine salutato, ad portum Naonis [B], cum paucis in Apuleam navigando pervenit. *¶*

*Quando dominus Conus Faventinus fecit duci aquam per civitatem.*

CAP. CLXXXV.

In nomine Domini [f] mcccxxxi / dominus Conus Faventinus [g] fecit duci aquam Alamonis per civitatem Faventiae; unde lavatur atque purgatur omni sorde [h].

*Quando Faventini fecerunt elevari et mutari eorum Palasium.*

CAP. CLXXXVI.

Sub anno Domini mcccxxxii. / sub dominio et potestaria Iacobi de Cancellario / Faventini eorum palasium elevari atque mutari [i] fecerunt. In cuius quoque temporibus duæ turres in suburbis factæ sunt.

*Quando Faventini iverunt ad castrum Sancti Petri.*

CAP. CLXXXVII.

Post gloriosum Virginis partum mcccxxxiii / die vii [j] exeunte mense aprilij iverunt Faventini omnes cum pueris et pueris, senes cum iunioribus atque mulieribus apud castrum Sancti Petri de Bononia, tam de civitate quam de districtu cum

[a] silentio praetermittamus, C. M.; silentio praetereamus, C. V. — [b] immo omni laude et memoria dignum, et posteris profuturum servemus, C. M.; immo omnia libenter memoria dignum et posteris proficuum servemus, C. V. — [c] ultra duo millia corbium. Sic lego. In C. M., ultra MM corbes frumenti. — [d] facere tenebantur, C. M.; facere nitebantur, C. V. — [e] ad partes Veronae. Sic Codd.; ad partes Ravennae, habet cl. Mitt. — [f] In nomine Domini. Sic C. M.; Anno Domini, C. V. — [g] Conus Faventinus. Sic legit cl. Mitt.; Conus Faventinus potestas, habet C. V.; Conus Faventiae, lego ipse, et adderem ex C. V., potestas. Tondutius, observante cl. Mittarellio, perperam legit: *Donus*. — [h] unde lavatur atque purgatur omni sorde, C. M. In C. V., unde lavantur atque purgantur omnes sordes. — [i] atque mutari. Sic C. V.; et sic habere videtur etiam C. M. Cl. Mitt. legit: *atque muravi*. — [j] die vii, C. M.; die sexta, C. V.

[A] Et Marchiae, videlicet, ut mihi videtur, Tarvisinae.  
[B] Ad portus Naonis. Sic Codd.; vulgo, Pordenone.